

1928 K 944

DISPUTATIO

Dc

*Difficilima, utilissima, maximeq; con-
troversa questione,*

74. 64

E

AN PROPRIA
UNIUS REI ALTE-
RI REALITER COMMU-
NICARI POSSINT.

Quam.

*Deo Opt. Max. docente & ducente, Amplissi-
me facultatis Philosophicae Collegio*

Jubente,

In inclyta VViteberga.

PRO LOCO

*In facultate Philosophica sibi assignato,
publico Examini subjicit*

M. BALTHASAR FURMANUS
VVitеб. Saxo. Al. El. Fac. Philo-
sophicæ Adjunctus

RESPONDENTE

JOHANNE NICOLAO
SCHULINO Gnothstadiensi Franco.

Prelo Richteriano, Anno M. DC. XIX.

1619

V I R I S
Admodum Reverendis, Cla-
rissimis, Excellentissimis

Dn. FRIDERICO BALDUINO
Facult. Theolog. Seniori, Pastorri
ac Superintendenti.

Dn. BALTHASARI MEISNERO
Dn. M. ERASMO SCHMIDIO.

*Illis S.S. Theologia Doctoribus celeber-
rimis, ejusdemq; in Academia Leucoreâ
Professoribus Publicis, & religionis yvn-
ioriç Lutheranæ propugnatoribus acer-
rimis: huic Græce Lingua ac Mathe-
matum Professori meritissimo, atq; alu-
morum Electoralium Inspectoris gra-
tivissimo*

*Dominis, Inspectoris, Mecenatibus, Præceptoris
bus meis æternum colendis, suspiciendis
yūnacis hoc Philosophicum
Gratitudinis, observantiae, honoris & amoris
ergo inscribere volui*

Johann Nicolaus Scholin.



THEISIS I.

Duo sunt genera hominum circa philosophiæ majestatem, ejusq; Verum usum errantium: Alterum eorum, qui philosophiam damnando nobilitatem ejus maculant, qui omnem non solum philosophiæ cognitionem, sed & omnium Philosophorum consuetudinem ejurarunt, qui philosophiam ineptiis suis indignissimo risu traducunt, ac omnem ejus majestatem & utilitatem proscriptam & miserabiliter sublatam cipiunt. Alterum eorum, qui non nisi principia philosophica, crepando, illiscq; malè utendo, omnia secundum illa principia estimare, & nihil, nisi quod cum illis conveniat, admittere volunt.

II.

Utrumque hoc genus hominum (quorum alterum Negligentium, alterum Malè utentium non incommodè appellari possit) sedulò fugiendum est; à Cujuscunque enim parte stereris, non solum philosophiæ sed & ipsius sacratissimæ Theologiæ majestatem fordescere videbis.

III.

Non audiendæ sunt foedissimorum hominum voces, quas in omnia philosophiæ cantant, & quibus philosophiam confuscare conantur. Eximiam enim philosophiam esse nemo nisi ex barbaris ignorat, Euphor. Satyr. in Icon. anim. p. 293.

IV.

Quomodo barbara erit philosophia, que sola efficit, ne barbarus efficit orbis? Idem parte 2. Sat. p. 173. Cui Humanitas nomen suum accommodavit, Idem p. 171. que nos à pecudum vilitate seducit & cognationis nostræ cum celo admonet. Idem in ap. 74. que in penetralibus regum nata, quam ipsi principes principatus sui ornamentum, calamitatis solarium habueré. Idem parte 2. Satyr. p. 170.

A 2

Ab-

V.

Ab hoc fastigio philosophia nullis contemptorum & oſorum machinis dejici poterit, nec tristes iſti Cenſores eam ex ſcien-
tiarum utiliſſimarum albo delebunt. Euph. part. 2. pag.
167.

VI.

Imd cum ars non niſi ignorantem oſorem inveniat,
& philoſophia neminem preter iuſticum vulgus fugiat, Idem lib. dicto p.
173. oſores illi philoſophiaſ ſuā ignorantiae iſi flunt indices,
quod ad philoſophiaſ interiora nunquam penetrare aut potue-
runt aut voluerint, & nunc damnata omni iſe eandem addiſcen-
di in ingrata quiete ſenſcere, quam philoſophiaſ dignitatē a-
gnoscere ac utilitatē proſiteri malint.

VII.

Neque tamen properea, quod philoſophiaſ neceſſi-
tatem & utilitatem contra contempſores ſartam volu-
mus, contrarii vicii macula nobis aspergenda eſt, quaſi Theolo-
giae Reginam illam conſtituendam velimus.

VIII.

Faciunt hoc illi, qui iſas res diuinās, immenso di-
ſputando ſtudio dum evolvere volunt, miſerius impediunt, qui
ad fastum ſubornata philoſophiaſ cognitione veluti anhelī in i-
piſius Theologiae culmen ascendunt, totum orbem despiciunt,
tanquam ſoli integri & ſoli ſapiētes, qui ſuā ſententiam velut
plebisciō jubent veram eſſe & à ſuis ubique propugnari.

IX.

Nimis audax eſt hæc philoſophia, quæ omnia ſceptra
Theologica aliquor hominiſ laceſſere non veretur: non tam
philoſophia quam Hæreticorum ſanam philoſophiam aut non-
intelligentium aut malè utentiū hoc vitium eſt, qui placitiſ ſuīs
tanquam veneno ſuavifſimo intinctas mentes e philoſophia in-
Theologiam deducunt, & alienam potentiam ad ſuī erroris de-
fenſionem armant.

X.

Iſtiusmodi Hominiſ vitiis iſpa philoſophia fingenda
non eſt; Bona ea eſt, modo quis recte uti norit. Ut enim aliās
mens

mens mala in suspicionibus gravis veneno suo pastum de innoxio flore querit Euphor.apol.62. sic isti homunciones erroribus suis in Theologia de innoxia Philosophia pastum & alimentum querunt.

XI.

Eludant ergo alii, ut volunt, majestatem philosophiae per contemptum barbaris ac in cultis ingenis horrentes & hunc demum virilem animum & nobilitate dignum existiment, qui Musas omnes, adeoque Philosophiam ut vitem, ineptamque refugerit, Euphor.hon.435.

XII.

Abutantur alii Philosophia, eandem aut male docti, aut ad natum & autoritatem aliorum sapientes, quantum ipsis per veros Philosophiae cultores licet, nos tamen nec Philosophiam veram nec verum ejusdem usum relinquemus, sed illam nobiscum ad Theologiam velut ad nobilorem mercatum circumducimus; Neg, enim animi nostri cognitione philosophicas, tam levi sarcina, opprimentur. Euphor.in apol.75.

XIII.

Vix autem convenientius problema dari visum fuit, quo & Philosophiae dignitatem contra Osores & verum ejusdem usum contra abutentes ostendere possimus, quam istud propositum, quo, an unius rei propria vere & realiter communicari possint, controvertitur.

XIV.

Ex hujus scientiae truncu virgult luxuriant, quorum usus non tantum in Philosophia sed ipsa Theologia est maximus: quod nemmo nisi controversiae hujus inter Lutheranos & Calvinianos agnarus, negare audebit.

XV.

Non ergo in lite sterilissima jam versamur, sed in materia, qua diligentissimo examine non indigna. Novimus enim judicium illud Demosthenis severum, qui gravissima vituperatione dignos judicabat, qui abundantis in rebus ocofis ac penfis nullius, inopes sunt in pulchris & utilibus: Iti enim, praterquam quod languidum, & enervatum gerunt animum Seneca l. 5. ep. 39. insuper naturae sua de coctores sunt nequissimi Scal.Exerc. 32.

A 3

XVI. Quam-

XVI.

Quamvis autem existiment Calviniani, ineptissimè sibi hanc controversionem moveri, quasi nemo illius enucleationem aut laboriosius quæsivisset, aut decisionem felicius invenisset, & quæstionem hanc à se adeo excusam, ne quisquam amplius à quoquam de ea discere possit: Ideò simpliciter in questionis hujus decisione affirmativam nostram naturæ ordinis adversam esse scribere non verentur.

XVII.

Nos tamen in hac disputatione contra ipsos affirmativam nostram, qua propria unius rei alteri verè & Realiter communicari posse statuimus exemplis aliquot, ex ipsius naturæ meditullio de promptis, demonstratam dabimus, ut Calviniani negativæ sua falsitatem liquidò cognoscere possint, ne apud se solos Philosophia docilium esse, aut omnes Musas felicis facinore apud se in custodia haberi existiment; ut mihi hoc de Jesuitis dictum Euphorionis in apol. p. 28. de Calvinianis uti liceat.

XVIII.

Itaq; subjectum nostræ questionis quod attinet, ex Isagoge Porphyrii vulgò quadruplex acceptio enumeratur, dicitur q; propriam. 1. quod πλεῖον μόνον, sed non τῷ παντὶ, ut Geometram esse, 2. quod τῷ παντὶ, sed non τῷ μόνῳ, ut bipedem esse, 3. quod & τῷ παντὶ & τῷ μόνῳ sed tantum παντὶ, ut canescere, 4. quod τῷ παντὶ καὶ μόνῳ, καὶ αὐτῷ, ut esse risibile, inest.

XIX.

Ita tamen divisio Proprii non adeo accurata videtur, quia primus modus cum tertio fermè coincidit, quod enim soli sed non omni inest, idem ac quod soli inest, sed non semper. Ideò alia divisio Proprii ex Aristotele. Top. c. 1, accurasier & commodior assumitur, quâ proprium aliud ὡργὴ τέχνη, aliud πονη, aliud ἀπλακē dicitur.

XX.

Proprium, ὡργὴ τέχνη dictum est, quod tantum in comparatione consistit & solùm respectivè & in collatione ad aliud, quod proprio isto caret, alicui tribuitur. Hoc modo Esurire, sitiare, dormire, nasci, Pati, propria sunt hominis, nimirum: in collatione ad DEUM, etiamsi nec soli homini nec semper competant.

XXI.

X X I.

Proprium *mōrē* dictum est, quod omni & soli speciei sed non semper convenit. Eiusmodi propria à nonnullis Actualia vocantur, & nihil sunt aliud, quam illi actus secundi seu operationes ex potentiss naturalibus seu actu primo provenientes, quæ non necessariæ sed contingentes, ideoque separabiles sunt.

X X I I.

Hoc modo ridere & flere proprium est hominis sed tantum *mōrē* quia homo nec semper ridet, nec semper flet. Zoroaster enim natus statim risit, nuncquam autem ille, qui propterea dictus fuit Agelastus, quia actus aptitudinis in quolibet individuo non est necessarius Scal. Ex. 750. f. 3.

X X I I I.

Proprium *άτολως* seu *άτε* dictum, est, quod uni soli rei, semper & perpetuo competit, ac sine ulla aut loci aut temporis exceptione inest, ut cum illa re, cui inest, reciprocari ac converti, ac à positione vel remotione hujus proprii ad positionem vel remotionem ipsius speciei concludi possit.

X X I V.

Eiusmodi proprium à nonnullis proprium Potentiale, perfectum, *έπεισιώδες* & *άναγκαιόν* dicitur; estque nihil aliud, quam illæ potentiae naturales seu actus illi primi, à quibus operationes seu actus secundi profunduntur. Tale proprium in homine est potentia ridendi, fendi, loquendi, in animalibus, potentia loco movendi, in igne, potentia urendi, lucendi, calcificandi.

X X V.

Hicse paucis pro subjecti explicatione præmissis, omnes has tres proprii significations nos acceptare, & per propria non solum propria tercia sed & prima & secunda significatio intellegere dicimus: in hac enim questione etiam, quod actus est transiens, & quod in respectu ad aliam rei alicui competit, proprii nomine venire.

X X VI.

Prædicatum questionis quod actiner, circa illud duo ad meliorrem questionis intelligentiam prænoscenda veniunt; 1. qualis communicatio hic intelligatur; 2. Qualia subjecta, inter quæ communicatio fieri dicitur esse debeant.

X X VII.

XXVII.

Communicationem à communi dicit ipsum Etymon docet: Communē enim est Unum quid, quod plura participant, unde bonum commune, quo multi fruuntur, dicitur: Et communicatio unius rei à pluribus posse & usurpat, brevissime quidem sed & rectissime describitur.

XXVIII.

Communicatione hæc à nonnullis duplex statuitur, verbali, quando subjecta nil nisi nomina propriorum communia habent, quam communicationem tropo aliquo affectam esse oportet. Reali, quando duo subjecta de ipsis propriis verè participant. Nos illâ, tanquam cassa aliqua nuce rejecta, hanc nostræ considerationis propriam esse dicimus.

XIX.

Subjecta, in quibus communicatio debet fieri, non sola reatione diversa, sed distinctæ substantiæ esse debent: Excluditur ergo 1. Communicatio duorum accidentium, quæ sit, quando duo accidentia in uno subjecto concurrunt, in eoque copulantur & de se invicem in concreto prædicantur, ut quando dico, Theologus est Philosophus, aut quodcumque alio non est, mutuorum substantiarum.

XXX.

Excluditur 2. Communicatio inter substantiam & accidens, quæ sit, quando id, quod competit accidenti, tribuitur substantiæ & de ea prædicatur, et quod hoc accidens substantiæ inhereat: sic difficulter consistere terminis propriis tribuitur substantiæ, cui inest, cum tamen aliás humiditatis sit proprium.

XXXI.

Excluditur 3. Communicatio naturæ, quæ proprium generis communicatur speciei, vel speciei proprium individuo: Genus enim quia est quiddam Universale & ad speciei essentiam constitutionem requiritur, ac in ejusdem definitione continetur, hinc quicquid generi competit, idem quoque speciei per communicationem generis competit.

XXXII.

Excluditur 4. Communicatio naturæ, quæ est inter partem & totum, per quam communicationem toti communicatur proprium partis & de eo prædicatur.

XXXIII.

XXXIII.

Excluditur 5. Communicatio κατὰ σύγχυσιν, qua proprium unius mixtibilis toti, quod ex mixtione ortum est, communicatur & de eo prædicatur. Talis communicatio est in hydromelite, cui inest & de quo prædicatur dulcedo propter commixtionem & dulcedinem communicatam.

XXXIV.

Subiecta autem realiter diversa, inter quæ communicatiōnem faciendam esse thesi 14. diximus, cum sint duplia, quædam *αὐτοῦ*, separata seu disjuncta, quæ non quidem omni contactu carent, sed tamen nec ita sunt conjuncta, ut unum alterum intima quadam *περιχώσει* pervadat: quedam *συνθέσει* aquēa unita & conjuncta, inter quæ ista mutua *περιχώσεις* datur, nobis hoc in loco non de illis, sed his subiectis sermonem esse præmonitum volumus.

XXXV.

Ergo iterum removetur 1. *Communicatio κατὰ μετέκοστον*, secundum transgressionem, quando communicatum communicans deserit, & ad illud, cui communicatur, transit: sic sonus concionatoris auditoribus, & donum principis donantis ei, cui dominatur, communicatur.

XXXVI.

Removetur 2. Communicatio κατὰ διλογίων quā quidem non ipsum Communicantis proprium propagatur, sed similis qualitas, seu effectus, numero diversus, in altero producitur, eique cōmunicatur. Talis communicatio sit, quando per generationem pater animam & corpus, quando præceptor discipulo suam eruditionem, quando D E U S Creaturis suam bonitatem communicat.

XXXVII.

Removetur 3. Communicatio κατὰ χρήσιν, qua id, quod est & manet unius proprium, utendum datur alteri, & sic cum eo communicatur, quo sensu amicorum omnia communia, nimirum ratione usurpationis, esse dicuntur.

XXXVIII.

His modis omnibus rejectis, dicimus subiecta Communicatio-

cationis, de quibus nobis sermo est, esse quidem substantias realiter distinctas non tamen disjunctas, sed lese invicem mutua quadam $\omega\delta\chi\omega\gamma\sigma\tau\epsilon$ & intima pervasione penitus amplectentes ; quæ communicatio Græcis *κοινωνία κατὰ συνδύσαν* & *ἔγαστρ* dicitur, & fit, quando unius rei proprium propter unionem alteri subiecto ad communem possessionem, usurpationem & denominationem, sine sui vel multiplicatione vel. transfusione, realiter confertur.

XXXIX.

Et hæc est illa communicatio, quæ omnibus Calvinianis odiosa est, & cuius nullum in toto naturæ ordine exemplum dari posse clamant; unico illo fine, ne divina illa dona Carni Christi communicata concedere cogantur : Absque hac enim hujus problematis applicatione si foret, non adeò curiosi in negativa sua defendenda forent.

XXX.

Quamvis verò nunquam nobis animum induxerimus, divina illa dona carni Christi communicata ex Philosophia probare (Hanc enim sola authoritate sacræ scripturæ nisi, etiam si omni naturæ cursui in totum contrariaretur, firmissime credemus) Tamen quia Calviniani λόγις propria Carni Christi communicata esse ex eo præcipue negant, quod talis communicatio exemplum nullum proorsus in tota rerum natura inveniatur ; Ut effati istius falsitatis appareat, talem priorum communicationem aliquot exemplis ex ipsa natura petitis demonstrabimus.

XL I.

Primum communicationis istius exemplum suppeditat nobis Corpus & Anima. Hæc sunt subiecta distinctissima ; unum n. ex nihilo Creatum, alterum ex limo terræ creatum est, unum materiatum, alterum materiae expers, unum ex elementis compositum, alterum simplicissimum & omni compositione carens, unum incorruptibile & immortale, alterum corruptibile & mortale, unum Spiritus, alterum Corpus est, unum formæ, alterum materia rationem habet.

XL II.

Et tamen corpori omnia anima propria propter factam unionem communicata sunt, quæ propriæ animæ humanæ cum sint

Tint triplicia, vivere, sentire, intelligere, hæc singula corpori comunicata esse ordine nunc ostendemus.

X L I I .

Præmittimus autem vitam (quatenus nimirūm sumitur pro actu primo) esse facultatem animæ propriam, idque facilime probamus ex eo, quod corpus & anima separatum non vivat; quod tamen futurum erat, si vita facultas corporis propria esset: quodque non omne corpus vivat, quod iterum futurum erat, si vita corpori esset propria, quia $\tau\delta\ \kappa\alpha\theta'\ \alpha\tau\tau\ \tau\delta\ \kappa\alpha\tau\tau$ vivit præsupponit.

X L I V .

Hinc quia corpus cum anima conjunctum est & dicitur vivens, ipsum vitam habere necesse est: (omne enim dici requirit inesse) Vita illa, qua vivit corpus, corporis propria non est, ut expræcedenti thesi clarum est. Ergo corpus per communicacionem vite ab anima accepta vivit. Ergo propria quædam communicari posse concludimus.

X L V .

Sensem quoque corpori ab anima communicari probatu est facilimum: Corpus enim cum anima conjunctum est & dicitur sentiens, ergo sensum habere necesse est. Si sensum habet, habet eandem vel ex se & proprietate naturali, vel ex alio & beneficio communicationis. Non ex se & proprietate naturali (alias enim non solum omne corpus, sed & corpus humanum ab anima separatum sentiret) ergo ex alio & beneficio communicantis, nimirūm ab ipsa anima. Ergo potentia sentiendi propria animæ sensitivæ à corpore possidetur. Ergo propria quædam communicari posse concludimus.

X L VI .

Facultatem quoq; intelle&tivam etiam corpori, omnibusq; ejus partibus communicatam esse non absurdè statuitur, & faciliè colligitur ex eo, quod corpus & omnia membra animam habeant communicatam. Ergo etiam omnes animæ potentias, ergo & potentiam intelligendi: quia anima à suis potentiis, aut una potentia ab altera separari nequit, sed individuo nexus conjuncta sunt; seq; inseparabili passu consequuntur.

XLVII.

Hinc Scaliger Exerc. 307. sect. 37. affirmare non dubitavit., intellectum etiam in pedibus esse. : quæ intelligendi potestas licet per pedes non exeratur, nec in pedibus ulla ejus actio apparet, ob arctissimam tamen cohaesionem corpori omnibusque ejus partibus adesse certissimum est, quia anima ubique est, Ibi tota est.

XLVIII.

Hinc ipse Aristoteles lib. 1. Eth. cap. ultimo ait, quandam partem animæ hominis per se ratiocinari, quandam per participationem, nimirum appetitum sensitivum, qui ad corpus pertinet. Ex quo Cla. Phil. Jacob. Martini in prelectionib. cōtra Keck. pag. 294. & 487. acutissimè probat, facultatem sensitivam, licet ex se sit $\lambda\alpha\sigma\gamma\theta$. & irrationalis, fieri tamen rationalem per participationem & communicationem, quia cum facultate $\lambda\alpha\sigma\gamma\eta$ in homine conjuncta est. Et hæc de primo exemplo.

XLIX.

Alterum exemplum, quo Communicatio propriorum probari potest, à ferro & igne desumimus: Hæc n. per naturam sunt distinctissima & diversissima. i. Quia ipso genere & definitione differunt, ; ignis n. substantia corpore simplex, ferrum autem mixta est. 2 quia unum alteri in actu existentia advenit; ferrum enim quando ignis ei advenit, suam formam specificam habet. 3 quia unum existentiam ab alterius existentia separata habet, ignis enim sine ferro & ferro sine igne existere potest. L.

II. Lux, igneus ille candor seu rubor, quo ignis splendet, & potentia urendi igni sunt propria: quicquid enim è duobus uni per naturā cōpetit, illud hujus est proprium: Atqui lux & vis urendi è duobus uni, igni nimirum & ferro dūntaxat competit, ; quia ignis per naturā suam lucet & lucidus est, ferrum verò opacum & nigrum. Ergo lux & vis urendi per naturam suam igni est propria. Hinc Arist. 2. de par. ani. c. 2. Ferrum, lapidem & cetera similia simpliciter calida esse negat, cum sua natura sint frigida.

L.I.

III. Et tamen ferrum sua natura opacum & nigrum vere & realiter, lucet & urit, quia de se lumen & splendorē spargere &c.

& admotam materiam, adurere ipsi sensus testantur, Ergo propria ignis ferro communicata esse necessum est; ferrum enim sine luce verè & realiter lucere, sine calore verè & realiter calere & urere non posset.

L II.

Quod majoris evidentia gratia hoc Syllogismo stabilimus:
Ferrum ignitum urit 1. aut luce sibi per naturam insita, 2. aut luce ab igne in ipso producta, 3. aut luce ipsius ignis in ferro existentis, quæ lux ignis est propria, ferro verò per Unionem communicata. Non primum, quia ferrum per se nigrum & opacum, non nisi ignitum & sic accidentario lucet. Non secundum, quia lux illa aut per Emanationem aut per transmutationem produceretur.

L III.

Non per Emanationem, quia non lux sed lumen à luce emanat: Non per transmutationem, quia sic ferrum ab igne accenderetur & in ignem converteretur, & duæ contrariae qualitates eidem subiecto per Inherentiam inessent: Ergo tertium, nimis ferrum luce ipsius ignis in ferro existentis, ipsi luci propriâ, ferro autem communicata, lucere relinquitur.

L IV.

Breviter: Qui ferrum ignitum verè & realiter lucere & urere negat, omnibus sensibus bellum indicit, & id efficit, ut videns non videat; adeoq; non curiosa refutatione, sed sensuali testimonio indiget, dignusq; est, qui ferro ignito usfuleatur, donec sentiat, videat, intelligat & fateatur, ferrum ignitum & urere & lucere. Et hæc de exemplo Altero.

L V.

Tertium exemplum, quo proprietatum Communicatio confirmari potest, desumitur à materia & forma, cuius actus communicatur materia. Id quod probatur I. Quia materia & forma ad unum reale, incommunicabile constituendum concurrunt, & ad unum suppositum uniuntur, Ex quo illa inter se communicari posse colligimus, quia ex duobus incommunicabilibus unum incomunicabile constitui nequit, & ex duobus in actu positis, unum fit actu compositum.

L VI.

Imo nisi forma sese materiae communicaret, & materiam,

actuaret, & sic cum materia unum compositum constitueret, numerum aliquid ex materia & forma fieri non posset: quia materia per suam naturam communis & in determinata est, per formam autem limitatur & restringitur.

LVII.

2. Quia materia & forma sese in constituto aliquo certo supposito permeant & pervadunt, ita ut nullæ planè particula materiæ reperiatur, quæ non informata dici possit. Ex qua intima, arctissimæq; permeatione Communicatio evidentissimè colligitur, ut hinc forma toti materiæ, omnibusq; ejus partibus verè & realiter communicata sit: Hæc enim περιχορήσεως natura est, ut ea, quæ sese permeant, permeando invicem communicent.

LVIII.

3. Quia de materia forma prædicatur & materia informata dicitur, quod non nisi propter illam unionem fieri posse certissimum est. Ex hac denominatione seu ex hoc modo prædicandi Communicatio invictissimè colligi potest. Ubi enim talis est prædictio, ut unum ab altero denominetur, Ibi omnino & Unio & Communicatio præsupponenda est.

LIX.

Ex qua communicatione formæ cum materia priorum Communicatio ultrò sequitur: Quia enim materia & forma ad ad unum suppositum constituendum concurrunt, quia arctissima περιχορήση conjuncta sunt, & unum ab altero denominacionem accipit: Imo quia materia duximus, forma verò εν πλεξει rationem habet, hinc propria formæ materiæ communicata esse concludimus: Communicata enim essentia omnia quoq; essentialia consequentia & proprietates, communicatis his ipsa quoq; illarum actio communicatur.

LX.

Ethæc sunt præcipua exempla philosophica cum additis rationibus, quibus negativam Calvinianorum everti & veram ac realem priorum Communicationem sufficientissimè probatam dari firmissimè statuimus: Cui negative ipsorum nunquam subscribemus, nisi fundamenta nostra everfa viderimus.

LXI.

Exemplis hisce philosophicis Theologi exempla Theologica, propter

propter quae hæc ex philosophicis disputari solent, addunt, & i. hy-
postatin. 2. majestatem λόγος propriam carni, 3. passiones carnis
proprias τῷ λόγῳ verè & realiter communicatas esse cōtra Calvinianos demonstrant; quæ nos hīc prolixè addere instituti nostri
ratio non permitit: Nobis n. communicationem proprietum
ex philosophicis demonstrasse sufficiat; applicationem ad exem-
pla Theologica cuilibet liberam relinquentes.

Interea in gratiam Calvinianorum, ut quam lubricis & sibi i-
psis non conflantibus fundamentis negativa ipsorum nitatur,
quivis possit colligere, unicum adhuc fundatum ex ipsorum
Calvinianorum hypothesi addemus: Si enim fundamentis Calvi-
nianorum nostram stabiliverimus sententiam, exinde certiorem
cam futuram non præter rem statuimus.

LXXXIII.

Disputant ipsi ἀποκλασίας seu Papistrati Ceremoniam in
sacra cœna adeò esse necessariā, ut ipsam essentiā cœna truncari
& mutilari affirmare non vereantur, nisi panis in ipso dispensa-
tionis & administrationis actu frangatur. Videatur Keck. l. 3. Syst.
Theol. p. 455.

Hanc sententiam Lutherani quando respondent, stare
non posse, propterea quod forma quanta esse, in partes dividi, &
jam totam mutila vel dimidiatu dici non posse: Hic cum nul-
la elabandi rimula inveniatur, errorem errore potius cumulare
quam veritate vietas manus dare malūt: Hinc formas quasdam
esse μερικάς & divisibiles statuunt, à quibus una pars abesse que-
at, sic ut tota essentia non pereat sed remaneat, licet non integra,
sed manca & imperfæcta.

LXV.

Hac sententia Calvinianorum de formarum divisibilitate,
licet absurdissimâ & falsoissimâ, nunc ut verâ uti, & ex hac ipso-
rum sententia contra ipsos proprietum Communicationem sta-
bilire & ipsorum negativam reverttere placet.

LXVI.

Si forma (ut statuunt Calviniani) est divisibilis, Eandem
Quantam esse oportet; quia omne divisibile est quantum. Si
quanta est & divisibilis forma, conveniet eidem quantitas vel

καθ

καὶ τὸν εἶναι τὸν & per essentiam, vel *καὶ τὸν* ἀλλον vel per communica-
tionem; plures enim modos habendi nec ipsi Calviniani dabunt.

LXVII.

Non autem per Essentiam, quia omnis forma consistit *ἐν*
τῷ μὲν Arist. lib. 2. Metaph. c. 7. Intensionem ac remissionem non
recipit; Scaliger Exerc. 12. sect. 2. nec patitur divisibilitatem. Idem
lib. 1. de plantis p. 93. sed est indivisibilis. Exerc. 106. sect. 2. Id quod
& siores Calviniani negare non audent. Timpl. lib. 1. Met. c. 2.
quæst. 7.

LXVIII.

Ergo per Communicationem & propter unionem cum ma-
teria. Si hoc, qua scientia aut conscientia Communicationem
propriorum Calviniani negare possint, mihi nondum liquet.
Si verò concedunt, ut certè concedere eos oportet, formam pro-
pter unionem cum materia fieri divisibilem, tum utique ipsam
nostram sententiam ipsi probant.

LXIX.

Aut Ergo Calviniani negativam suam de Communicatione
propriorum, aut affirmatiyam de divisibilitate formæ des-
erant, quia utraque consistere nequit: Hæc enim contradictionem
involvere quilibet videt. Utrum verò tutius sit, ipsis Calvinianis
deliberandum relinquimus. Interea nos disputationi huic finem
imponimus, & argumenta, que in contrarium afferri solent, fu-
turo examini reservamus. Christo, Cujus humanae naturæ di-
vina majestas communicata est, cuius caro maiestate Dei-
tatis glorificata, Aug. contra Felician. c. 11. sit ho-
nor, laus & gloria in infinita
secula.

F I N I S.


Errata Thesi 9. pro hominis lege syllagisnis. ib. 16. pro fingenda, l. tin-
genda. th. 11. pro hon. l. icon. th. 12. pro natum, l. nutum. th. 29 pro rectione lege
ratione.

WITTENBERG, Diss., ERGEOB.,
1. 1612/1667



nicht verloren

VON



W
E
161

B.I.G.

	Inches	Centimetres
	1	2
	3	4
	5	6
	7	8
	9	10
	11	12
	13	14
	15	16
	17	18
	18	19
	19	

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Dark Gray
Medium Blue	Medium Cyan	Medium Green	Medium Yellow	Medium Red	Medium Magenta	White	Medium Gray	Dark Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Very Dark Gray
Very Dark Blue	Very Dark Cyan	Very Dark Green	Very Dark Yellow	Very Dark Red	Very Dark Magenta	White	Very Dark Gray	Black

